

riati bestiolas incidentes adoritur, & in momento, more periti aucupis, suis staminibus irretire satagit. O admirandam conditoris nostri sapientiam, qui imperfectissimo & abjectissimo huic animalculo, quo vix invenitur contemptius & homini magis exosum, machinationem & solertiam ejusmodi tribuere voluit, ut ab hoc *ἀδιδάκτω & ἀπειδέτω* Geometrica Elementa, texendi, sarcendi, venandi, aucupandique rationem homines didicisse videantur! Sed mittamus hæc & hujus generis sexcenta, & ad alia altioris indaginis à Professione nostra minus aliena, nec exoptatissimæ huic concioni, quod speramus, ingrata futura nos convertamus. Inter ea vero quæ hoc amplissimo confesso digna judicamus impresentiarum nobis arridet miraculosa thermarum scaturigo, de quâ pro temporis ratione paucis agam, naturæ potius veritatem, quam Oratorum præcepta sequendo. Vos modò quotquot adestis, Auditores, verba mea, quâ soletis, humanitate excipite & dissertationis meæ cursum aurâ favoris vestri promoyete.

*Inter multa satis admiranda, quæ thermis insunt plurimum dubitari potest de earum calore actuali.*

Quanquam infinita sunt, quæ mirari potius quam rimari cogimur in fontium ac thermarum origine, cum non tantum admirandas earum qualitates, odorum, saporum, colorum & consistentiæ diversitate plurimum differentes perpendimus, sed simul etiam effectus salutare penitus introspicimus, ubi tantum illarum usum in omni Medicinæ parte deprehendimus, ut ope thermarum morbos præcaveamus, sanitatem præsentem defendamus, absentem restituamus, & non rarò, dum in gravissimis morbis aliâ artificii medici ratione frustra laboramus, ad has tanquam ad anchoram sacrâ confugiamus: nihilominus vix aliquid magis in hac materia reconditum atque abstrusum esse videtur, ut ab ovo, quod dicitur, rem ordiamur, quam vera istius caliditatis causa, quam in aquis sponte manantibus

tibus